



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. III. De Impedimentis Matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

admitti, nisi unam tantum uxorem primo loco acceptam retineant, ceteris ut illegitimis dimissis, c. 8. *de divort.* Si tamen alia fidem susciperet, præferenda esset; potest quippe conversus omnibus uxoribus infidelibus dimissis aliam fidelem ducere.

Deus tamen Polygamiam Patriarchis licitam reddidit, ad multiplicandum populum Dei, dividendo in plures uxores jus quod ex natura contractus una habebat totaliter in corpus mariti, & suppeditando media, ne inde bona educatio, & pax familiarum impediretur, & alia mala sequerentur.

Nunquam autem conjunctio ejusdem feminae cum pluribus viris permessa fuit, quia hæc adversatur fini etiam primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam, vel saltem rarissime sequatur, ut patet in meretricibus: & quando non impeditur incertum reddit Patrem prolis, quod prolis educationi adversatur. Finis autem primarius Matrimonii est tum generatio prolis, tum ejus recta educatio.

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii.

Impedimenta Matrimonii alia sunt impedientia tantum, quæ reddunt illud solummodo illicitum. Alia dirimentia, quæ insuper edificant invalidum, si fuerit attentatum: unde sic

vocantur, non quod Matrimonium semel validè contractum dirimant, cum Matrimonium semel validum sit insolubile, sed quia faciunt ne validè contrahi possit. Porro semper dirimunt non obstante ignorantia invincibili sive juris sive facti circa illa: quia non sunt pœna, quæ culpam supponant, sed inhabilitates morales ad Matrimonium ob bonum commune statuta, quæ non requirunt cognitionem sui ut contrahantur, cum bonum commune postulet ut etiam ab ignorantibus contrahantur. Infideles tamen, cum non sint subjecti legibus Ecclesiæ, non astringuntur impedimentis solius juris Ecclesiastici; unde ob illa separari non debent, si convertantur.

Q. 1. Quot sunt impedimenta impedientia tantum?

Resp. Sunt quatuor, quæ nunc certò vigent, & sub mortali obligant, cum materia præcepti sit gravis. Hoc versu continentur.

Ecclesiæ vetitum, tempus, Sponsalia, votum.

1. Itaque est Ecclesiæ vetitum, id est, prohibitio ab Episcopo vel Parocho facta de non contrahendo, ob dubium impedimenti alicujus, donec veritas innotescat. c. 2. de Matrim. contract. & c. & c. ult. de clandest. desponsat. Item prohibitio, à Conc. Later. 4. & Trid. facta ne contrahatur sine præviis denuntiationibus, vel earum dispensatione.

2. Tempus, quo Nuptiæ sunt interdictæ, quod jure novo, Trid. sess. 24. c. 10. est ab

Ad-

Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusivè, & à die Cinerum usque in Octavam Paschæ inclusivè. Sed quia ibi loquitur de solemni- bus nuptiis, jure communi secundum multos solum prohibetur hoc tempore sub mortali solemnitas Nuptiarum, nempe Benedictio Sponsi & Sponsæ, traductio Sponsæ ad ædes Sponsi, Choreæ, & convivia nuptialia. Unde Rituale Rom. dicit solum hoc tempore so- lemnitates nuptiarum prohibitas esse: *ut Nuptias benedicere, Sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* Matrimonii tamen consum- mationem tunc prohiberi declaravit S. Con- gregat. teste Fagnan. eo quòd hæc non con- veniat tempori devotioni & pœnitentiæ dica- to. Imò ex consuetudine vel jure particulari multarum Diœcesium, Matrimonii celebratio dicitur etiam tunc non permitti absque specia- li causa & licentia Episcopi.

3. Sponsalia prius cum alio contracta & nondum dissoluta: quia tunc violaretur in re gravi fides alteri data, & promissio onerosa ei facta & ab eo acceptata, quæ obligant ex justi- tia graviter in re gravi, ex c. *Atho.* 27. q. 2.

4. Est votum simplex castitatis in sæculo ser- vandæ, vel ingrediendi Religionem, vel susci- piendi Ordinem sacrum, vel nunquam nu- bendi, c. 6. *qui Clerici, &c.* nam votum jure di- vino naturali obligat ad sui observationem, ne fides Deo data violetur. Validum tamen esset Matrimonium, ex cap. cit. nam ex natura rei

res alicui promissa potest alteri validè licet illicite dari. At votum simplex non corporis traditionem, sed solam promissionem complectitur. *Post votum simplex adhuc remanet homo Dominus corporis sui, & ideo potest ipsum dare alteri scilicet uxori,* ait S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. q. 2.

Q. 2. *Quanam observanda sunt circa Banna seu denuntiationes futuri Matrimonii?*

Resp. Sequentia. 1. Licet ad valorem Matrimonii non requirantur, cum nullo jure ob earum defectum irritetur; tamen graviter præcipiuntur à Conc. Later. 4. & Trid. sess. 24. c. 1. Quare qui sine illis, vel legitima dispensatione Episcopi contrahunt, & Parochus assistens peccant mortaliter: quia violant præceptum Ecclesiae in re gravi, ubi agitur de gravissimis malis impediendis: nisi tamen excusaret urgentissima necessitas, qualis reperitur in articulo mortis; ut si concubinarius brevi moriturus velit & debeat contrahere Matrimonium cum concubina, tunc si nequeat adiri Episcopus vel ejus Vicarius, Parochus per epichiam poterit interpretari legem illam in tali casu non obligare.

2. Ex præcepto fieri debent tribus diebus festivis continuis, non tamen immediatis, ab utriusque contrahentis Parocho vel Parochis, in Ecclesia inter Missarum solemnias; nisi ex causa justa Ordinarius dispenset, ex Conc. Later. 4. c. 51, & Trid. sess. 24. c. 1. Quare si con-

si contrahentes sint diversarum Parochiarum, debent fieri denuntiationes in utriusque Parochia: & tunc unus Parochus non potest Matrimonio assistere, nisi habeat testimonium alterius Parochi de illis factis. Quòd si alteruter Sponsus non ita pridem in aliqua Parochia commoretur, denuntiationes fieri debent eo in loco ubi diutius manserit, ut facilius impedimenta, si quæ fuerint, detegantur. Quoad vagos verò Parochus nihil debet agere sine licentia Ordinarii, ut jubet *Trident.*

2. Inter singulas proclamationes, item inter ultimam & ipsam Matrimonii celebrationem intercedere debet aliquod intervallum, juxta cujusque Diœcesis statuta.

4. Est mortale si una è tribus omittatur, nisi probabilis adsit suspicio Matrimonium posse malitiosè impediri; tunc enim *Trident.* permittit unicam denuntiationem præmitti, aut etiam nullam de licentia Ordinarii, si hoc putetur necessarium ad amovendum periculum.

5. Si intra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, illæ repetantur, nisi aliter Episcopo videatur. Ita *Rituale Rom.* quia interea possent Sponsi contraxisse aliquod impedimentum.

6. Qui extra Confessionem novit aliquod impedimentum, etiam occultum, inter nupturientes, tenetur sub mortali illud detegere, tum ex præcepto Ecclesiæ, tum jure naturali: nam tunc agitur de bono communi, salute proximi, & valore Sacramenti; & quisque gravi-

ter tenetur, præsertim iubente Superiore, impedire grave damnum proximi, qualis est nullitas Matrimonii; ex qua plura peccata & incommoda oriuntur, ut concubinatus, illegitimitas filiorum. Unde Conc. Camerac. an. 1565. jubet excommunicari eum, qui verum impedimentum sciens reticuerit, sicut qui falsum finxerit.

Nec obstat quòd nequeas probare impedimentum, nam unus testis fide dignus Matrimonium impedit ex c. 27. de Sponsal. donec oppositum probetur. Quòd si inde oriretur infamia denunciato, teneris privatim admonere, ut à Matrimonio desistat: quod si nolit, teneris monere Parochum. Item quisque tenetur declarare si alteruter habeat impedimentum prohibens, ob præceptum Ecclesiæ, & quia quisque tenetur impedire peccatum proximi, & peccati executionem, cum potest saltem sine suo gravi damno.

7. Parochus cognito impedimento, tenetur prohibere Matrimonium, nec ei assistere, sed remittere ad Episcopum vel ejus Officialem.

Q. 3. Quot sunt impedimenta dirimentia?

Resp. Post Trident. sunt 15. his versibus comprehensa:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus & impositus,*

Si

*Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hec socianda vetant connubia, facta retractant.*

Porro est peccatum mortale contrahere cum aliquo ex hisce impedimentis: nam fit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, & attentatur Sacramentum, quod non potest effici. Hinc ne quidem metus gravis excusaret à peccato: nam cum aliquo ex his impedimentis scienter contrahens ex metu gravi intenderet contrahere, & tunc tentaret Sacramentum, quod non potest efficere: vel solum fingeret se intendere, & tunc fingeret se ministrare Sacramentum quod non vult ministrare: quod utrumque est graviter injuriosum Sacramento.

I. *Error.* Si sit circa substantiam personæ jure etiam naturali Matrimonium irritat. Quia impedit consensum in substantiam contractus, nempe in personam, quâ cum contrahitur; nam persona est substantiale ac primum objectum Matrimonii, cum sit res ipsa circa quam contractus Matrimonii primario versatur: at nullus est contractus sine consensu circa substantiale objectum illius. Idque etiam si error sit solum concomitans, quia adhuc deest consensus actualis positivus essentialiter requisitus ad hunc contractum: nam quod incognitum est, non potest esse actu volitum. Unde Lia pro Rachele obstrusa Jacobo Gen. 29. non fuit verè ejus uxor, nisi postquam ipse detectâ fraude Liam acceptavit in uxorem.

Si verò error sit solum circa qualitatem, seu

accidentiæ personæ, ut nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem, &c. non dirimit Matrimonium, etiamsi alterius contrahentis dolus ei causam dedisset. Quia nihilominus adest consensus absolutus in personam, cum qua contrahitur, quæ est objectum directum ac substantiale hujus contractûs: quippe defectus accidentium non tollit substantiam rei, nec consensum absolutum in rem ipsam, causâ 29. q. 1.

Excipe 1. Nisi error qualitatis redundet in errorem personæ, ut cum qualitas personam determinat, distinguitque à quavis alia: ut si intendas contrahere cum primogenita, quam aliter non novisti, & ejus loco detur secundogenita; nam error circa talem qualitatem impedit consensum circa objectum substantiale per illam determinatum. 2. Nisi consensus datus sit solum sub conditione talis qualitatis circa quam erratur, ut si dicas *accipio te in uxorem si es dives, vel nobilis, &c. Secus, non te accipio.* Tunc enim qualitate istâ non subsistente Matrimonium nullum est, propter defectum consensûs in personam alligati tali qualitati: nam consensus conditionatus non subsistit, non subsistente conditione cui alligatur. Sed tunc requiritur ut contrahens habeat actu voluntatem non aliter contrahendi, vel antea habuerit nec revocârit. Verum si conditio exterius non exprimitur, contractus in foro externo censetur absolutus: unde si quis interius consensisset tantum sub conditione si fit dives, nobilis,

bilis,
sunt
2
per
put
q. 2
Rat
gna
tur
lata
ber
cit.
vel
esse
ibid
ma
Jus
bus
3
per
bata
Tri
iter
pot
Gro
Me
in
mo
me
Ma
vin

bilis, &c. cogeretur illam ducere, & consensum absolutum dare.

2. *Conditio.* Conditio servilis ignorata, dum persona libera contrahit cum persona serva putans esse liberam, ex c. *si quis ingenuus* 29. q. 2. & ex cap. 2. & 4. *de conjugio servorum.* Ratio hujus impedimenti est, ut tollatur magna contractus inæqualitas, & ut impediatur gravis injuria personæ liberæ ignorantivillata. Valet tamen Matrimonium, si persona libera cognoscebat alterius servitutem, ex cap. cit. nam tunc consentit in illam inæqualitatem; vel si persona serva ducat aliam servam, putans esse liberam; quia par est utriusque conditio. *ibid.* Nomine personæ servæ hinc intelligitur mancipium, in quod Dominus habet plenam Jus vendendi, donandi, & quibuslibet operibus servilibus occupandi.

3. *Votum.* Scilicet votum solemne castitatis per professionem factam in Religione approbata, vel per susceptionem Ordinis Sacri, ex Trident. sess. 24. can. 9. & cap. un. *de voto in 6.* Item votum simplex castitatis in Societate Jesu post biennium novitiatus emissum, ex Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Dño,* Religiosi autem, Moniales, Clerici in Sacris Constituti, & Laici in gradibus prohibitis tentantes inire Matrimonium excommunicantur ipso facto ex *Clement. de consanguin.*

4. *Cognatio.* Triplex est cognatio dirimens Matrimonium. Prima dicitur legalis, & est vinculum, seu propinquitas personarum orta

ex adoptione perfecta, per quam persona extranea assumitur in Filium vel Filiam, ac heredem necessarium, & transit in patriam potestatem adoptantis. Hæc Matrimonium dirimit in perpetuum inter adoptantem, & adoptatum, adoptique posteros usque ad 4. gradum inclusivè; inter adoptatum & uxorem adoptantis; inter adoptandum & uxorem adoptati; item inter adoptatum seu adoptatam & filios aut filias adoptantis, sed solum usquedum liberi sint à potestate patria per mortem adoptantis, vel per emancipationem. c. *Unico de cognat. legali.*

Secunda est cognatio spiritualis, quæ est vinculum, seu propinquitas personarum jure Ecclesiastico inducta, ratione Baptismi & Confirmationis. Irritat Matrimonium inter Baptizantem & Baptizatum, Baptizatique Patrem & Matrem; nec non inter Patrinos seu susceptores, & Baptizatum Baptizatique Patrem & Matrem; item inter Confirmantem & Confirmatum, Confirmatique Patrem & Matrem. Inter hos & non plures contrahitur, ex Trid. sess. 24. c. 2.

Porro non contrahitur à Procuratore, sed à solo mandante, ut teste Fagnano resolvit S. Congregatio: nam hic solus à parentibus baptizandi designatur, & Patrinus reputatur, & ut causa principalis suscipit ac tangit per Procuratorem tanquam per instrumentum, qui non agit nomine suo, sed mandantis. Contrahitur tamen etiam à Laico baptizante in casu
neces-

necessitatis; qui proinde non potest ducere puellam à se Baptizatam vel ejus Matrem.

Tertia est cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, & est propinquitas seu conjunctio sanguinis inter personas, vel ab eodem stipite propinquo descendentes, ut sunt fratres & cognati, vel quarum una descendit ab altera, ut sunt pater & filia, avus, neptis, &c. Hæc distinguitur per lineas & gradus.

Linea est ordinata series personarum sanguine junctarum constans certis gradibus: & duplex est, nempe recta & transversa seu collateralis.

Linea recta est ordinata series ascendentium & descendentium, ab eodem stipite directè procedentium, quorum scilicet unus ab altero descendit, ut patris, filii, nepotis, pronepotis, &c. in hac linea juxta jus canonicum non computatur persona quæ est communis stipites, id est, ex qua aliæ ducunt originem.

Transversa est ea, quæ continet personas descendentes quidem ab uno communi stipite, sed quarum nulla descendit ab altera: unde dicuntur collaterales, ut sunt frater & soror, consobrinus & consobrina, &c. Per gradum hic intelligitur distantia personarum consanguinearum inter se à communi stipite.

Ad cognoscendos gradus hæc sunt Regulae.
 I. In linea recta tot sunt gradus, quot generationes seu personæ dempto stipite: sive tot gradibus una persona distat ab alia, quot generationibus seu personis inferior à stipite de-

scen

scendit: sic filius vel filia distat à patre & matre uno gradu; nepos vel neptis ab avo & avia duobus gradibus, & sic deinceps. 2 In linea collateraliali si personæ æqualiter à communi stipite distent, eo gradu inter se distant, quo distant ab eodem stipite; sive tot gradibus inter se distant, quot generationibus descendunt à communi stipite. Sic Frater & Soror sunt in primo Gradu, Consobrini seu liberi Fratrum in secundo, horum Filii in tertio, & ita deinceps, c. *ad sedem* 35. q. 5. nam cum adæquata horum conjunctionis ratio sit unio cum stipite, non possunt magis aut minus inter se distare quàm à stipite.

Si verò personæ inæqualiter distent à communi stipite, in eo Gradu se contingunt, quo remotior distat à stipite: nam personæ collaterales non debent magis aut minus inter se distare, quam una distet à stipite, qui est horum propinquitatis ratio. Unde Filia & Frater Patris sunt consanguinei in secundo Gradu; & si una sit in quinto, altera in quarto, censentur esse inter se in quinto, sicque inter illas non est impedimentum, c. *vir. de consanguin.*

Consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ irritat Matrimonium saltem jure humano, ex Respons. Nicolai I. ad consulta Bulgar. c. 39. ibi: *Inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter Patrem & Filiam, vel Avum & Neptem, vel Matrem & Filium, vel Aviam & Nepotem, & usque ad infinitum.* Imò juxta multos

tos etiam jure naturali, saltem seclusâ necessitate extrema conservandi speciem humanam: tum quia concubitus inter ascendentem & descendentem refugit ipsa natura ut valdè indecentem; & gentes omnes ratione naturali duce eum nefandum habuere: tum quia est contra reverentiam debitam progenitoribus, nam per conjugium fit æqualitas seu mutua subjectio quoad debitum, & per actum conjugalem turpitudinis quædam alterius revelatur, ex c. 18. *Levit.* quod repugnat reverentiæ, quam descendentes debent ascendentibus: omnes quippe ascendentes habent rationem Principii & Superioris; descendentes verò loco liberorum habentur, cum causa causæ sit etiam causa causati. Deus autem ut naturæ auctor & Matrimonii institutor non censetur concessisse potestatem contrahendi Matrimonium per se habens indecentiam ac repugnantiam cum natura rationali: nemo autem habet potestatem tradendi dominium corporis sui, nisi dependenter à Deo, qui est supremus rerum ac jurium omnium Dominus. Certè omnes fatentur nullum esse Jure naturæ Matrimonium in primo gradu, ut inter Patrem & Filiam, aut Matrem & Filium, quia id exigit reverentia specialis suo Principio immediato debita.

Consanguinitas in linea collateralis nunc irritat Matrimonium duntaxat usque ad quartum gradum inclusivè, c. *non debet de consanguin.* ex Conc. Gener. Later. 4. cum antea usque

que ad 7. dirimeret. & quidem juxta multos Jure naturali in primo gradu, ut inter Fratrem & Sororem, extra necessitatem conservandi vel propagandi genus humanum: quia conjugium Fratris cum Sorore continet gravem indecentiam, ut patet ex communi sensu hominum etiam ethnicorum, qui has nuptias semper exhorruere: unde Abraham, Gen. 12. judicavit Ægyptiis persuasum iri Saram non esse uxorem suam, si putarent eam esse ejus Sororem. In aliis verò solo Jure humano, cum etiam in 2. gradu possit Papa dispensare, ex Trident. sess. 24. c. 5. & Infidelium Matrimonia in eo gradu valida sint, ex c. 8. de divor. Ratio autem impedimenti consanguinitatis & affinitatis est. 1. Ob reverentiam quam ipsi consanguinei sibi mutuò debent, propter originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis communionem. 2. Ad removendum periculum fornicationis seu incestus, à quo valde arcet impotentia Matrimonii secum ineundi; nam alioqui cum consanguinei & affines aut in eadem domo commorentur, aut passim se invisant, & familiari consuetudine utantur, magnus fornicationi pateret aditus. 3. Ad amicitia vincula protendenda cum extraneis.

Not. 1. Consanguinitas inter duas personas potest esse duplex ex duplici capite. 1. Quia sunt duo stipites: ut si duo Fratres contrahant cum duabus feminis inter se consobrinis, liberi ex his duobus conjugii nati erunt in secundo gradu ex parte Patrum, & in tertio ex parte

Ma-

sup

Matrum: & tunc dicuntur esse in 2. & 3. ex duobus stipitibus. 2. Quia licet sit unus stipes, ab eo descendentes inter se Matrimonia contraxerunt, ex quibus nati liberi sunt dupliciter consanguinei. Cùm autem est duplex consanguinitas, tunc est quoque duplex impedimentum, quod exprimi debet in petitione dispensationis.

Not. 2. Graviter peccaret, qui etiam propter mortis periculum sine dispensatione absolute contraheret cum persona consanguinea vel affini in gradu prohibito, & copulam exerceret: nam tunc cùm Matrimonium sit nullum, copula esset fornicatio, imò incestus lege naturali prohibitus. *Azor.*

Not. 3. Superior duorum liberi ac nepotes contrahunt eadem impedimenta Matrimonii inter se, & cum legitimis parentum Filiis ac nepotibus: quia hæc fundantur in communiione Sanguinis ejusdem, qui perinde spurii ac legitimis communicatur.

5. *Crimen.* Duo crimina præter raptum irritant Matrimonium. Primum est homicidium, quo duo ex prævia conspiratione, etsi absque prævio adulterio, conjugem alterutrius occidunt sive per se, sive per alium, physice, vel moraliter, consilio, suasionem, imperio, ex intentione postea Matrimonium inter se ineundi, c. 1. *de convers. infidel.* vel quo post admissum adulterium interficitur, etsi sine prævia conspiratione, conjux unius ab alterutro adultero, ex intentione contrahendi Matrimonium

nium cum superstite conjugē, licet mortem illam nolente & ignorante, c. 3. *de eo qui duxit*, &c. Nec refert an vir, an uxor occidatur.

Homicidium verò patratum sine intentione ineundi Matrimonii, vel sine pravia conspiratione & adulterio non dirimit Matrimonium: quia jura hoc non exprimunt. Idem dic de tentata, sed non perfecta cæde, quia requiritur mortis machinatio efficax & perfecta; cum leges illæ sint pœnales, ideòque strictæ interpretationis.

Secundum est adulterium sic commissum, ut adulteri ante vel post adulterium, quantum est de se, Matrimonium ineant vivâ comparte, vel saltem promittant se inituros illâ mortuâ, c. ult. *de eo qui duxit*, &c. Ad hoc autem necesse est. 1. Ut adulterium sit consummatum, & quidem scienter ut tale ab utroque commissum. 2. Ut promissio facta sit tempore Matrimonii sive ante sive post adulterium, & ab altero acceptata, non tamen ut sit mutua, nec juxta multos, ut sit sincera. Ratio hujus impediendi est, ne spe Matrimonii futuri sumatur ansa machinandi mortem conjugis. At valet Matrimonium inter adulteros post mortem conjugis, nisi alteruter ejus necem machinatus fuerit, vel dum viveret Matrimonium promiserit, c. 6. *de eo qui duxit*, &c.

6. *Disparitas cultûs seu Religionis.* Hæc irritat Matrimonium inter personam baptizatam & non baptizatam. Idque solo Jure Ecclesiastico per universalem & antiquissimam consuetudinem

vinem vim legis habentem, non tamen ante sextum sæculum, indueto. Unde S. Monica teste S. Augustino, l. 9. Conf. c. 9. nupsit viro infideli, & S. Clotildis Clodoveo Regi nondum Baptizato.

At valet Matrimonium personæ Catholicæ cum Hæretica, vel cum Apostata baptizato, cum nullo Jure irritetur, licet sit prohibitum Jure Ecclesiastico, imò & naturali, si sit morale periculum subversionis. Secluso tamen hoc periculo, & positis certis conditionibus, secundum communem, licitum est ex dispensatione Papæ; & reipsa hanc Urban. VIII. ob communem Religionis utilitatem concessit Henricæ Borboniæ, ut nuberet Carolo Anglorum Regi Hæretico.

7. *Vis*, Si injustè inferatur, pœnis, vexationibus, minis, quæ metum gravem incutiant ad consensum extorquendum: nam metus gravis injustè à quovis etiam alio tertio incussus ad extorquendum consensum irritat Matrimonium, c. 14. 15. & 28. *de Sponsal.* sufficit metus mali gravis probabiliter imminentis, sive illud sit grave absolutè & in se, sive tantum respectivè ad timentem; æquè enim notabiliter tollit injustè voluntarium perfectum. Ratio impedimenti est, quia si esset validum, cum naturâ suâ sit indissolubile, injuria nunquam posset tolli, nec pars innocens in priorem statum restitui; & inde gravissima incommoda sequerentur: nam Matrimonia coacta infelices habere solent exitus, cum non

fundentur in mutuo amore. Præterea fidelium Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fundatur in amore libero ac voluntario, non in coactione.

Dixi, 1. *Metus gravis*, nam levis metus, etsi injustus, non irritat, exc. 6. *de Sponsal.* quia non notabiliter minuit libertatem, & facile contemni potuit. 2. *Injustè*, nam si metus sit justè incussus ab homine, valet Matrimonium, exc. 10. *de Sponsal.* & c. 2. *de adulter.* quia fuit sufficienter voluntarium in suo Principio, & nulla intervenit injuria. Sic valet ex metu justæ excommunicationis, vel pœnæ à Judice intentatæ contractum. Unde qui contraxit Sponsalia, compelli potest metu Censuræ ad Matrimonium, cap. cit. Imò valet etiam si metus justè incutiatur à privato homine, ut si stupratori filia suæ minans Pater intentet se eum apud judicem delaturum, nisi eam ducat: nam qui justè procedit, non dicitur vim inferre: secus, si minetur se eum occisurum. 3. *Ad extorquendum consensum*, nam si metus injustè incutiatur ob alium finem, v. g. vindictam, ut si quis ad placandum inimicum necem minantem ducat ejus filiam, vel si iniustè detineatur in carcere ob aliam causam, ut eo se liberet, ducat filium Judicis vel custodis, valet Matrimonium: quia ille metus, ut supponitur, non est per se ac directè causa Matrimonii, sed tantum occasio: nam ille sponte tale medium evadendi eligit. 4. *A persona, &c.* nam si metus ortus sit à causa naturali, vel sponte susceptus,

ptus, v. g. ex metu naufragii seu mortis instantis valet Matrimonium: quia tunc sine alterius injuria, & à nullo alio nisi à se ipso compellitur ad contrahendum. *Vide dicta de metu in contract.*

8. *Ordo sacer.* nempe Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium, ob annexum votum solenne castitatis, & legem Ecclesiasticam, c. 1. de Cleric. conjug. & c. 7. Conc. Later. 2. & ex Trid. sess. 24. can. 9.

9. *Ligamen.* est vinculum prioris conjugii sive rati tantum sive consummati, quo durante secundum jure divino est invalidum: nam in lege nova Polygamia nec licita, nec valida est. Hinc coniux non potest aliud Matrimonium inire, nisi habeat certitudinem moralem de morte compartis, c. 2. de secund. nupt. ibi: *nullus ad secundas Nuptias migrare presumat, donec ei constet quod ab hac vita migravit conjux ejus.* Alioquin enim exponeret se periculo mœchandi.

Quod si post contractas bonâ fide secundas Nuptias dubitet de morte prioris coniugis, tenetur quam primùm diligenter inquirere veritatem, & interim abstinere à petendo debito, non tamen à reddendo. Si verò de prioris coniugis vita constiterit, tenetur posteriorem statim relinquere; & ad priorem reverti, ex eod. cap.

Si verò uterque malâ seu dubiâ fide processit, neutri licet petere & reddere debitum: quia neutri est possessio Juris pro petendo debito;

nam possessio Juris inchoari nequit cum mala vel dubia fide. Si autem unus tantum cum dubio contraxit, hic non potest petere debitum, etsi debeat reddere; nam contraxit malâ fide & sine judicio prudenti de morte conjugis.

Porro sola absentia multorum annorum, nec sola fama fundat certitudinem moralem sufficientem. Sed requiritur testimonium authenticum mortis conjugis, approbatum ab Ordinario, sine cujus licentia Parochi non debent tunc agere. Quod si desit testimonium authenticum conjugis jam diu absentis, necesse est, ut hanc testentur homines fide digni.

10. *Honestas*. seu Justitia publicæ honestatis, est quædam affinitas seu propinquitas personarum Jure civili & canonico inducta, proveniens vel ex Sponsalibus validis & absolutis, vel ex Matrimonio rato non consummato, ob publicam morum honestatem. Si ex Sponsalibus oriatur, Matrimonium irritat solum inter sponsum & consanguineam sponsæ in primo gradu, & vicissim, ex Trid. sess. 24. c. 3. Idque etiamsi sponsalia postea fuerint justè dissoluta, c. *Si quis*. 27. q. 2. etiam mutuo consensu ex c. 5. *de desponsat. impub.* nam hoc impedimentum non à contrahentium voluntate pendet, sed ab Ecclesiæ, quæ illud constituit, instituto, & quæ voluit illud esse perpetuum; eo quod non deceat Matrimonium contrahi inter personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per Sponsalia. Si ex Matrimonio rato oria-

tur.

tur, irritat usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, ut declaravit Pius V. in Bulla 62. afferens Tridentinum circa hoc nihil innovasse.

11. *Ætas* nempe impuberum. Nam horum Matrimonium illicitum & irritum est Jure canonico c. 10. *de desponsat. impub.* Valet tamen Matrimonium inter pubertati proximos, qui jam habent sufficientem ad id discretionem rationis & potentiam generandi ex cap. 9. eod. tit.

12. *Affinitas* est conjunctio seu propinquitas personarum orta ex copula carnali completa, seu per se sufficiente ad generationem prolis, sive licita, sive illicita. Oritur inter consanguineos viri & solam mulierem, item inter consanguineas mulieris & solum virum. Ratio est, quia vir & mulier per copulam carnalem fiunt una caro: ac proinde consanguinitas unius fit consanguinitas alterius, & vicissim, c. *porro* 35. q. 5. Affinitas quæ oritur ex licita seu conjugali copula irritat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè in linea collateralis, perinde ac consanguinitas, c. 8. *de consang.* quod in hac parte non fuit correctum. Quæ oritur ex illicita copula, solum irritat usque ad secundum inclusivè, ex Jure novo Trid. sess. 24. c. 4. ita ut jam in ulterioribus gradibus Matrimonium sit validum, imo & licitum, ut declaravit Pius V. Bulla 62.

Nota. 1. In affinitate lineæ & gradus eodem modo computantur, quo supra in consanguini-

nitate: unde quo gradu aliquis consanguineus est uni conjugum vel copulatorum, eodem gradu affinis est alteri. Sic consanguinea uxoris in 1. & 2. gradu, affinis est viro in 1. & 2. gradu: & vicissim consanguineus mariti in 1. & 2. gradu, affinis ex uxori in iisdem gradibus.

2. Hoc impedimentum est solum Juris humani. Excipiunt multi gradum primum lineæ rectæ, ut inter privignum & novercam, vitricum & privignam; quia omnes gentes benè institutæ talia connubia ob indecentiam abhorruerunt, ex 1. ad Cor. 5. & ex l. 4. *Cod. de nupt.* Enimverò cum vitricus & noverca per copulam conjugalem facti sint una caro, privigna vitrico eandem fere reverentiam debet, quam deberet matri. Quare Matrimonium inter tales dedecet naturam rationalem; ideóque Deus illud validè contrahendi potestatem non dedit.

3. Copula incestuosa cum consanguineis conjugis non dirimit Matrimonium validè contractum, cum sit insolubile; sed priv. t nocentem Jure petendi debitum, non tamen facultate reddendi; ne pars innocens pr. vetur suo Jure ob alterius delictum, c. 4. & 10. *de eo qui cognovit*, &c.

4. Consanguinei conjugum vel copulatorum non fiunt affines inter se. Sic consanguinei uxoris non sunt affines consanguineis viri, nec hi illis, c. 5. *de consang.* hinc duo Fratres validè contrahunt cum duabus Sororibus, & Filius,

Filius Mariti ex alio conjugio cum Filia uxoris ex alio pariter conjugio suscepta.

13. *Clandestinitas.* Matrimonium clandestinum est illud, quod non contrahitur coram Parocho proprio vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel ordinarii licentia, & duobus saltem testibus. Est invalidum in omnibus locis, ubi Tridentini decretum de hoc promulgatum vel receptum est, ut patet ex his verbis decreti, sess. 24. c. 1. *Qui aliter quàm presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit & annullat.* Quamvis autem ante Trident. ejusmodi Matrimonia fuerint valida, semper tamen fuerunt, & sunt ubique illicita; nam *Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Trid. ibid. Circa hoc.

Not. I. Requiritur Parochus domicilii, aut saltem quasi domicilii sive viri, sive mulieris: nam quoad hoc Parochus unius censetur Parochus utriusque, cum contrahentes sint una moraliter persona: quia unus est utriusque contractus & unum Sacramentum. Ad domicilium autem alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi semper habitandi. Ad quasi domicilium sufficit habitatio cum voluntate ibi manendi longo tempore, vel majore anni parte. Juxta multos sufficit

Parochus quasi domicilii: ita ut studiosi in Academiis, milites in Præfidiis, opifices, famuli, &c. qui majore anni parte alicubi habitant, vel habitaturi venerunt, possint coram Parocho loci contrahere: quia contrahunt ibi domicilium Parochiale in ordine ad Confessionem & alia Sacramenta, excepto Ordine: at is est proprius Parochus ad assistendum Matrimonio, qui in cap. *omnis*. de pœnit. &c. appellatur proprius Sacerdos. Idem declaravit pluries S. Congregatio teste Fagnano in c. *significavit*.

Not. 2. Episcopi per se ipsos, vel Sacerdotem à se deputatum, validè assistunt, cum sint Ordinarii, & Parochi etiam ipsorum Parochorum. Idem est de Vicario generali Episcopi; nam unam & eandem suo modo potestatem Jurisdictionis habet cum Episcopo.

Not. Parochus domicilii & testes debent esse simul præsentés, etiam moraliter, ita ut intelligant quid agatur: quia requiritur talis præsentia, ut possint testari veritatem Matrimonii. At non obest valori, si repugnent: quia Trident. eorum præsentiam, non consensum requirit, & sine hoc obtinetur finis decreti, qui est, ut tale Matrimonium Ecclesiæ constare possit: *Sacra Congregatio* (inquit Fagnan. in cap. *Quoniam*, l. 13. de constit.) *declaravit validum esse Matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, qui sibi aures obturaverat. Item coram Parocho tam viri quàm mulieris etiam in aliena Parochia, etiam si*

iam si Episcopus illi Matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam minoribus tantum ordinibus initiato. Qui non potest tamen legare nisi Sacerdotem. Imò valet contractum coram Parocho suspenso, excommunicato, vel irregulari, ut declaravit S. Congregatio Cardin. teste eodem Fagnano. Graviter tamen peccant, qui coram Parocho invito contrahunt: quia gravem admittunt irreverentiam in Ecclesiam, cujus ille personam sustinet, nisi irrationabiliter contradiceret, nec posset adiri Superior.

Not. 4. Secundum multos ad valorem sufficientiunt quilibet testes ratione utentes: nam nulli excipiuntur à concilio, & concurrunt cum alio fide digno nempe Parocho, cujus habitas supplet.

Not. 5. Vagi, & qui nullibi certas sedes habent, debent contrahere coram Parocho loci, in quo versantur dum contrahunt, quia nullus alius est proprius eorum Parochus, & ex Trid. sess. 24. c. 7. ubi Parochis precipit, ne illorum Matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, num scilicet liberi ac idonei sint ad contrahendum; & re ad Ordinarium dilatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Not. 6. In locis Hæreticorum, ubi Trident. promulgatum fuit, ut in Hollandia, ex dispensatione Ecclesiæ valet Matrimonium Catholicorum sine præsentia Parochi contractum, si ibi nullus sit Parochus Catholicus, nec ejus vices supplens, vel si nequeat sine gravi peri-

culo adiri aut advocari, modo adhibeantur saltem duo testes, ut declaravit S. Congregatio, teste Bellarmino in Epist. ad Octavium Tricar. Episcop. nam decretum Tridentini non se extendit ad ea loca, ubi nulli sunt Parochi nec Vicarii.

Not. 7. Ex dispensatione tacita Papæ & usu Ecclesiæ validum est Matrimonium Hæreticorum in locis ubi publicè exercent suam Religionem, modò contractum sit secundùm ritum & leges loci, licèt ibi Trident. promulgatum fuerit, ut in Hollandia: nam Ecclesia non permittit, ut Hæretici illi ad fidem Catholicam conversi alias Nuptias contrahant, & eorum liberos habet ut legitimos. Ita Pœnitentia Romana respondit ad Episcop. Castoriens.

Not. 8. Habens domicilium in loco ubi decretum Trident. promulgatum non est, invalidè contrahit clandestinè in alio loco ubi receptum est: quia contractus fieri debent secundùm leges loci, in quo celebrantur: nam contrahentes sortiuntur forum loci in quo contrahunt. Imò incola loci, ubi Tridentinum receptum est, invalidè contrahit sine Parocho & testibus in loco ubi non est receptum, si eò se conferat in fraudem decreti, hoc est, ut clandestinè contrahat, ut S. Congregatio declaravit.

Not. 9. Matrimonium clandestinum non resolvi in Sponsalia declarat S. Congregatio apud Fagnan. in c. *ad audientiam*.

Not. 10. Non licet Parocho, qui etsi solus
extra

extra Confessionem novit occultum impedimentum, tali Matrimonio assistere: quia tunc officium testis obit: nemo autem testimonium præstare potest de actu, quem scit esse irritum. Si sit impedimentum non dirimens, v. g. votum castitatis, tenetur privatim mone- re, & si nihil proficiat, rem ad Ordinarium de- ferre; nam ex officio Pastoris tenetur maxi- mè impedire peccatum subditi. *Layman.*

14. *Impotentia*, seu inhabilitas ad coitum na- turalem & prolificum oritur vel ex maleficio, vel ex causa naturali, & quidem in foemina ex arduitudine vasis; in viro autem vel ex nimia frigidityte naturæ, vel ex testiculorum carentia aut attritione, vel complexionis debilitate: unde fit ut non possit semen prolificum intra vas mulieris effundere.

Impotentia alia est absoluta, quâ quis est im- potens respectu omnium, alia respectiva, quâ quis est impotens respectu alicujus tantum. Et utraque subdividitur in perpetuam, & tem- poralem. Perpetua est ea, quæ tolli nequit sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitæ periculo; temporalis, quæ tolli potest sine peccato, vitæ periculo, & miraculo, sed me- diis licitis & ordinariis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, ut precibus, exorcismis con- tra maleficia. Porro sterilitas non est im- potentia; nam eâ non obstante potest esse co- pula per se apta generationi, licet hæc per ac- cidens non sequatur, defectu scilicet morbi vel alicujus accidentalis qualitatis seminis, vel aliunde.

Dico

Dico, 1. Impotentia perpetua antecedens Matrimonium, quamvis se teneant ex parte unius, illud irritatum jure Canonico, ut patet ex titulo *de frigidis*, &c. tum jure naturali: quia Matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis ad copulam aptam generationi. At impotentia perpetua ex natura rei, ideóque jure naturali impedit talem traditionem; nemo enim potest tradere potestatem actus, quem nullo modo habet in sua potestate; nam nemo potest dare quod non habet. Nec quis potest se obligare ad id, quod dare vel facere nequit, *cum impossibile nulla obligatio sit*, L. 145. ff. *de Reg. Jur.*

Quare impotentia perpetua absoluta dirimit Matrimonium respectu omnium: respectiva solum respectu illius personæ, ad quam est: nam eatenus impotentia irritat, quatenus impedit, ne contrahens possit dare dominium & usum sui corporis ad copulam generationi aptam.

Hinc eunuchi utroque testiculo privati nunquam possunt validè contrahere, ob defectum seminis prolifici, ut declaravit Sixtus V. in Bulla 59. idem est de illis, quibus attritus est uterque testiculus; vel qui integris licèt partibus semen prolificum emittere nequeunt, ob naturalem frigiditatem, vel perpetuam complexionis debilitatem. Secus dicunt de viro carente uno tantum testiculo, qui potest prolificum semen emittere: item de viro æ-

gro-

grotante; quia in hoc verè extat potentia habitualis, quæ est solùm ligata per accidens.

Dico, 2. Impotentia temporalis nullo jure irritat Matrimonium, c. 6. *de frigid.* Quia cum possit tolli, adest materia sufficiens contractui, sive quia non est impotentia simpliciter, sed secundùm quid tantum, nam est vera potentia quamvis impedita ad tempus, vel ad miniculo aliquo indigens. Si dubium sit, an impotentia Matrimonium præcedens perpetua, an temporalis sit, non licet Matrimonium iniri: quia exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis. Quòd si jam contractum est, tunc à jure conjugibus conceditur triennium experientiæ: ut adhibitis mediis possibilibus ac licitis conentur tollere impotentiam, quo completo si duret impotentia, nullum est Matrimonium, c. 5. *de frigid.* ubi si bonâ fide contraxerunt, iis permittitur, ut simul permaneant ut Frater & Soror. Quòd intellige, modò constet abesse omne incontinentiæ periculum, quod rarò abest; nam, ut notat Sanchez, hæc confœderatio est periculosissima, quare non est facilè concedenda; quippe talibus nihil licet eorum, quæ solutis interdiciuntur, ut tactus, &c. cum reverà conjuges minimè sint. Igitur separari debent, si alteruter id petat, vel morale sit periculum incontinentiæ. Quòd si separatione factâ vir ex post facto deprehendatur potens, prius Matrimonium restauretur, etsi mulier alteri
nupse-

nupserit: quia verè erat validum, cùm impotentia fuerit tantum temporalis.

Porro conjux laborans impotentia solum respectivâ potest aliam ducere; secus, si ea sit absoluta ac perpetua. Vir autem solutus morti proximus potest validè contrahere cum concubina: quia habet veram potentiam ad copulam generationi aptam, quamvis tunc morbo impeditam, & probabiliter nunquam postea in actum reducendam.

Dico, 3. Impotentia quælibet superveniens Matrimonio rato licet nondum consummato illud non dissolvit: quia fuit validum, nec dissolvi potest, nisi per professionem Religiosam, vel dispensationem Papæ. Tunc autem conjux impotens exigente comparte tenetur adhibere media ad impotentiam expellendam apta, modò periculum mortis non afferant, quia tenetur ex justitia debitum reddere, ideoque actus conjugalis capacem se reddere.

Not. Hermaphroditi, hoc est, utrumque sexum habentes, per se loquendo non sunt impotentes. Quare per loquendo contrahere possunt secundum sexum qui in ipsis prævalet: quia ad usum Matrimonii idonei sunt secundum sexum illum. Si uterque sexus sit in iis æqualis, alterutrum eligere debent, & secundum illum contrahere. Sed factâ semel electione, aliud Matrimonium secundum alium sexum contrahere prohibetur, quamvis esset validum.

15. *Raptus.* Nullum potest consistere Matrimonia

trimonium inter raptorem & raptam etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris. Si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta consentiat, valebit Matrimonium. Ita decernit, Con. Trident. sess. 24. c. 6. ubi ipso facto excommunicationem, & alias pœnas statuit in raptorem, & omnes ei consilium, auxilium & favorem præbentes. Circa quod

Not. 1. Raptus hîc est violenta abductio fœminæ de loco in locum, Matrimonii ineundi, vel libidinis exercendæ causâ. Duplex est raptus species, una qua persona invita per vim abducitur: altera, qua abducitur persona consentiens, sed invitis parentibus, vel Curatoribus, sub quorum est potestate. Secundum multos solus raptus quo abducitur fœmina invita, est impedimentum dirimens: non autem, si ipsa volens, sed invitis parentibus abducatur: quia Trident. voluit illud cessare, si rapta esset à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta; nec ad hoc exigit, ut restituatur parentibus. Et quia intendit tantum consulere libertati perfectæ Matrimonii; quæ non læditur, dum fœmina consentiens abducitur, invitis licet parentibus. Dicitur tamen in Galliis raptus seductionis haberi à plerisque pro impedimento dirimente.

Not. 2. Non refert an quis per se vel per alium rapiat: nam ex Reg. Jur. 72. in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.*

Not. 3. Non sufficit, si fœmina vitum rapiat;

at: quia Trid. loquitur de solo raptore, & leges præsertim pœnales non comprehendunt ea, quæ rarissimè fiunt, qualis est hic casus, nisi clare exprimant, l. 5. ff. de legib.

Q. 4. *Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Ne Papa quidem dispensare potest in impedimentis jure naturali dirimentibus, qualia sunt error, amantia, consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo transversæ, ligamen, impotentia, & secundum multos affinitas in primo gradu lineæ rectæ: nam Christus talem potestatem Ecclesiæ non concessit, ut patet ex praxi.

Resp. II. In aliis impedimentis, quæ solo jure Ecclesiastico dirimunt, solus Papa ut caput Ecclesiæ dispensare potest, saltem ordinariè loquendo; nam nemo potest dispensare in lege Superioris, nisi hoc ei concedatur: impedimenta autem illa sunt à Papa, vel à Conciliis Generalibus, vel consuetudine universali statuta; nec facultas in iis dispensandi Episcopis concessa est, ut constat ex usu ubique recepto. Quare Conc. Turon. an. 1183. ait: *In quarto gradu consanguinitatis, & affinitatis, nec non cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus.*

Dixi, *Saltem ordinariè loquendo.* nam, ex communi sententia, Episcopus potest dispensare in impedimentis occultis post Matrimonium contractum & consummatum, si ista con-

concurrant. 1. Si Matrimonium contractum sit publicè seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, & bonâ saltem unius fide. 2. Si sit consummatum & sine scandalo separari nequeant, vel juxta multos sine gravissimo damno. 4. Si nequeat recurri ad Papam, ob paupertatem vel aliam causam, vel ob probabile periculum peccandi contrahentibus imminens ex tanta dilatione. Ratio est consuetudo ob bonum animarum & Ecclesiæ induc-ta, Papâ saltem tacitè consentiente.

Porro commissio dispensandi in impedimenti Matrimonii non expirat morte concedentis: quia respectu perentis jam gratia est facta, & solum requiritur executio. Quippe in hujusmodi commissionibus non relinquitur voluntati Ordinarii, aut Confessarii concedere vel negare dispensationem, sed ipsis præcipitur, ut dispensent inventâ veritate precum.

Resp. III. Ex consuetudine Episcopus dispensare potest in impedimentis impedi-entibus tantum, præter vota castitatis perpetuæ, & ingrediendi Religionem, utpote Papæ reservata. Adde sponsalia, obligant enim ex justitia jure naturæ. Porro si contrahentes sint ex diversis Dioccesibus, requiritur dispensatio amborum Episcoporum: quia unus non potest dispensare nisi cum proprio subdito.

Q. 5. Quid requiritur ad valorem dispensationis?

Resp. Requiritur tum ut causa finalis sit vera, & subsistat, dum conceditur: tum ut in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus & stylus

Curia exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cuius dispensatio aut nullo modo, aut non nisi cum certa conditione vel limitatione daretur, ex c. *super de rescript.* alioqui dispensatio esset obreptitia, vel subreptitia, ideóque nulla, ob defectum consensús in dispensante. Vide dicta de legib. cap. 6. q. 5.

Hinc si inter consanguineos aut affines præcesserit copula, vel inter illos attentatum sit matrimonium, vel copula incestuosa habita sit spe dispensationis facilius impetranda; vel si cum notitia impedimenti, vel sine illa, præmissis tribus denuntiationibus, vel iis omissis, contractum sit Matrimonium: hæc omnia exprimi debent in supplicatoriis; itera si plura sint impedimenta etiam ejusdem rationis, debent omnia exponi; nam cum singula obstant, Matrimonio, necessaria est dispensatio omnium & sublato uno manet adhuc alterum. Et item gradus cognationis & affinitas explicandus est: etsi sit inæqualitatis in gradibus, quæ oriatur ex eo quòd fœmina sit propinquior stipiti, ut si sit amita, debet exprimi.

Q. 6. Quomodo convalidandum est Matrimonium invalidum?

Resp. 1. Si nullitas Matrimonii in facie Ecclesie, hoc est, coram Parocho & duobus saltem testibus initi, sit occulta ob defectum occultum, de quo non sit periculum ut aliquando innotescat; tunc ut Matrimonium fiat validum, sufficit quòd sublato impedimento occultè mutuo consentiant sine Parocho & testibus,

testibus, ut teste Navarro declaravit S. Pius V. quia Decretum Trident. hunc casum non comprehendit, cum ejus ratio ad eum se non extendat, & jam obtineatur ejus finis. Nam ratio finalis decreti est, ut publicè constet, ideòque probari possit validitas Matrimonii, & sic vitentur gravia mala ex clandestinis nuptiis manantia, maximè concubinatus & adulterium, dum quidam cum una contraxerunt, illâ relicta aliud Matrimonium publicè ineunt. At cum defectus Matrimonii coram Parocho & testibus initi est occultus, potest tunc publicè ab iis probari validitas: & sic impediri aliud Matrimonium.

Si verò nullitas sit notoria, vel periculum sit, ne innotescat, sublato impedimento, novus consensus præbendus est iterum coram Parocho & testibus. Quia tunc urget ratio Decreti Trident. nam alias non posset publicè constare, nec probari validitas Matrimonii. Imò si impedimentum possit probari à duobus testibus omni exceptione majoribus, censet Sanchez tunc opus esse novâ præsentia Parocho & testium; quia lex Trident. adhuc locum habet nam alter conjux, probato impedimento, non posset impediri, ne cum alia contraheret, si convalidatio esset occulta.

Resp. II. Si Matrimonium fuerit nullum ex defectu consensûs veri in utroque, ut fiat validum, debet uterque novum consensum elicere, cum prior fuerit nullus & utriusque consensus sit essentialis contractui Matrimonii:

debétque rñtius ille consensùs exteriùs exprimi; quia signum prioris consensùs non sufficit, cum sit tantùm signum ficti consensùs; unde opus est novo signo, quo verus consensùs exprimatur humano modo, ad quod potest sufficere copula affectu maritali facta, ex c. 2. de conjug. servor.

Quòd si Matrimonium fuerit nullum ob defectum consensùs ex parte unius tantùm, qui fictè, vel ex gravi metu injusto consensit; secundùm multos, ut fiat validum, satis est, si ille verum consensum eliciat, eùmque aliquo modo exteriùs exprimat, ùt exercendo copulam affectu conjugali; nec in comparte requiritur novus consensus, nec proinde notitia defectùs, si priorem consensum non retractaverit. Quia in hoc casu ambo contrahentes sunt personæ legitimæ ac habiles ad contrahendum, & consensus unius partis fuit verus supponiturque permanere habitualiter, utpote non retractatus, & moraliter, nam putat valere Matrimonium, & compartem habet ut conjugem, petens ac reddens debitum conjugale. Atqui ad valorem contractùs sufficit, si contrahentium consensus sint simul moraliter.

Nec obstat quòd pars quæ consensit, fortè non perseveret in consensu, adeóque nollet in eo perseverare, si sciret alteram non consensisse. Quia hoc non obstante remanet consensus: nam dissensus sub conditione ponendus non revocat priorem consensum absolutum; & aliud est *nolo*, aliud *nollem*. In praxi tamen

tamen tutius est, quòd uterque consensum renovet, si non timeatur scandalum, vel grave periculum aut incommodum.

Resp. III. Si Matrimonium fuerit nullum ob quodvis aliud impedimentum dirimens, ut fiat validum, necesse est 1. ut obtineatur dispensatio, vel per se cesset. 2. Ut interim pars nullitatis conscia non reddat debitum petenti, alioquin scienter fornicaretur. 3. Ut uterque conjux novum consensum præstet, & exterius prodatur: quia utriusque prior consensus fuit nullus, cum fuerit inter inhabiles, & ceciderit in materiam illegitimam. Ergo alius legitimus non minus requiritur, quam si nullus præcessisset, nam *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Reg. Jur. 18. in 6.

Quare obtentâ dispensatione, si nullum sit periculum gravis incommodi, nullitas detegi comparti debet confusè & genericè, dicendo, v. g. se anxietatem pati propter consensum in ipsa Matrimonii celebritate datum, & Confessarium judicasse novum utrimque elici debere: nam sine hac manifestatione pars ignara nullitatis, si de novo consentiat, consentit ex errore: imo non ponit propriè novum consensum, sed præcisè renovat priorem invalidum, nec intendit novum denuo Matrimonium contrahere, cum credat jam legitimè contractum esse; sed intendit tantum ratificare prius Matrimonium, illudque confirmare, dum petit vel reddit debitum vi prioris con-

sensûs; cùm tamen prioris consensûs utpote invalidi confirmatio vel iteratio non sufficiat. Unde in literis dispensationis additur, *ut dicto conjugè de nullitate prioris consensûs certiorato, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, dispenses.*

Sed gravis difficultas est, cùm per istam manifestationem timetur grave incommodum, vel periculum, aut scandalum, ut non rarò accidit. Multi doctores hanc viam proponunt, nempe ut pars impeditenti conscia partem illius ignaram blanditiis delinuat, & benè dispositam sic alloquatur: *Ita te amo, ut si non esset inter nos Matrimonium, te in conjugem acciperem, & nunc ita te accipio: tunc idem ex parte tua facis?* Si respondeat, *facio*, aut simili verbo consensum novum declaret; tunc, inquit, valebit Matrimonium; quia tunc pars ignara impeditenti novum Matrimonium vult inire, si prius non fuerit validum. Non sufficit autem si dicat, *vellèm, facerem*, quia non esset consensus de præsenti absolutus. Ad clausulam dispensationis respondent eam appositam esse cum hac restrictione subintelligenda, *si fieri possit.*

Quòd si neque hoc sine gravi periculo vel scandalo fieri queat: quia scilicet si compar sit sagax, posset ex hac insueta agendi ratione conijcere aliquid tale subesse: censent non pauci partem consciam impeditenti posse sequi opinionem eorum qui dicunt tunc sufficere quòd consensum renovet interius, & perenti
con-

conjugi debitum reddat affectu conjugali, non
 monitâ comparte de nullitate Matrimonii.

Verum cum hæc difficilia & dubia sint,
 Confessarius ex Confessione deprehendens
 pœnitens contraxisse cum impedimento diri-
 mamente, quòd invincibiliter ignorant, non
 debet eos de eo admonere, quin prius sciat id
 posse fieri sine periculo gravis incommodi,
 scandali, vel peccati respectu illorum, ex c. 6.
de consang. in his autem & aliis gravibus diffi-
 cultatibus consulendi sunt viri docti, sed præ-
 fertim Episcopus loci.

Porrò eadem est ratio convalidandi profes-
 sionem nullam, quæ Matrimonium.



TRACTATUS.
 DE CENSURIS
 ET
 IRREGULARITATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Censuris in Genere.

Q. I. Quid est Censura?

Resp. Q Est pœna Ecclesiastica medica-
 lis,

Oo 4